



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Mors.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Anicatio, immunditia, adulteria, veneficia, idolorum servitus, & quæcumque dictu factuve feæda perhibentur, quæ omnia Domini que Deique nostri secespita abscidit abstulitque. Antea enim quam ille nos inviseret cælo delapsus, non erat ensis hic inter mortales, neque caro quicquam adversus spiritum concupiscebat, neque spiritus adversus carnem. Adventu vero ejus edocti sumus, quæ carnis essent propria, quæque spiritus, doctrinaque ejus quasi gladius vibratus carnem à spiritu dissecuit, disseparavitque, ut inde viveremus in spiritu, neque rerum nostrarum summam in carne, sed in spiritu statueremus, non corruptionem à carne, sed beatorum vitam à spiritu in lucroreposituri

MORS. CAP. LXVII.

Apuð Scythas, qui multa Ægyptiorum more confinxerunt, à quibus, ut veteres quidam autho-
Lucianus in Toxari.
Scytharum
juramentu,
 res tradunt, etiam instituti sunt, gladius mortis erat symbolum: fuitque maximum omnium illis juramentum, ventum & acinacem attestari (acinaces enim ut Medorum, ita eorum gladius est) per hunc quidem interitum, aut salutem: in eo enim salutis suæ præsidia statuebant, per ventum autem animam, hoc est, vitam interpretantes, quod scilicet tamdiu vivamus, quoad vitales auras carpere permissum est. Pari modo in ofentis mali hominis & eadem minitantis habitus, ut Helvidio Pertinaci accidit, qui ante triduum quam occideretur, in piscina sibi visus est videre hominem, à quo gladio infestaretur. Eodem significato formidabilis minabundusque Galba, cognita Nero
Sueton. in Galba c. 11.
Libelli duo
in secretis
C. Caligulae
inventi.
Suet. in Caligula c. 49.
 nis nece, suscepta que Cæsaris appellatione, iter ingressus est paludatus, pugione ante pectus à cervicibus dependente, usu togæ non prius recuperato, quam omnes qui res novas moliebantur oppressisset. Quid vero libelli duo, qui reperti sunt in secretis C. Caligulæ post ejus necem, in quibus notæ nominaque continebantur mortu destinatorum? præscripti enim erant diverso titulo, alterique Gladius, alteri Pugio nomen erat, per hunc eos qui clam opprimendi essent, intelligebat: per gladium, quos palam cadere destinasset: moliebatur enim Princeps carnificinæ deditus, electissimum quemque utriusque ordinis interimere, mox Antium, inde Alexandriam commigrare.

IMPERIUM. CAP. LXVIII.

Iam & potestatem & imperium ex gladio significari, à nostræ pietatis fundatoribus accepimus. Nam quod responsum à pio discipulo est, *Eccæ duo gladii*, sacræ Legis interpretes humanarum divinarumque rerum potestatem sub Christianæ Reipublicæ principe perventuram præmonstratum ajunt. Apud Chaldaeos idem indicatum, cum Darius vaginam acinacis, quem gestabat, Perfico ornatu conspicuam haberet, longe ante quam Alexander è Græcia moveret in Asiam, eam ornatu Græcanico communiri jussit, quo facto Chaldæi responderunt, Imperium, quod Darius obtinebat, in eorum jus venturum, quorum arma imitatus esset.

DE SECURI. CAP. LXIX.

Est & Securi à secando nomen, quare Demosthenes Phocionem orationum suarum securim appellabat: brevi enim ille, sed acuta oratione, Demostheni plurimum adversabatur. Et Hieremi-
Plutarcho, in Demosthene.
 as sermones Domini sicut securim ait, quæ vel petras incidat.

LYDIÆ REX. CAP. LXX.

EA non Romanos tantum Consules insignes faciebat, verum & Lydiæ Reges, quorum gestamen erat. Inde Jovis Labradai simulacrum, quod securis labris Lydorum vocabulo dicebatur.

ROM. COSS. CAP. LXXI.

Romanarum vero securum significata cum scholis sint omnibus admodum vulgata, plurimique una cum Plutarcho rem interpretati sint, eas ad scelus, quod emendationem non reciperet, excidendum comparatas, ulterius ego de his quicquam in medium afferre superfedabo.

Yyy

ANIM.